

sulphuris pondo uncia, cepearum pondo sextans, rumicis erraticae radicis aceto quoque tritae pondo — I. omnia teruntur, miscetur aceti quod satis erit, id est dum mellis crassi habeat spissitudinem. cum opus est, scabiei locus nitro et aceto fricatur diutius et pressius, deinde hoc medicamentum superlinitur. 5

CCLIII. Alia compositio ad idem: scammoniae X p. III, myrrhae X p. I, aeris flos X p. I, astulae regiae, quam asphodelon Graeci dicunt, radicis X p. II, glutinis taurini X p. II, nitri X p. I et victoriati. teruntur omnia aceto praeter gluten: hoc enim pridie aceto maceratur, ceteris iam tritis miscetur. cum opus est, ante nitro et aceto locus exasperatur, deinde 10 hoc oblinitur.

Ut consummetur liber, malagmata et acopa adiciemus.

Genera malagmatorum ad omnem corporis valetudinem

CCLV. Malagma ad opisthotonon, id est cum cervix reflexa est in posteriorem partem aut rigida cum intensione oculorum et maxillarum. 15 facit et ad cynicon spasmon, cum in utramlibet partem depravata est facies; item ad omnem tensionem et contractionem nervorum et ligationem, ancylen quod Graeci vocant; item ad dolorem omnis partis quamvis veterem: bdellii X p. XVI, opopanacis X p. VIII, galbani X p. VIII, adipis vitulini X p. XVI, piperis grana numero CLX, ammoniaci guttae 20 X p. VIII, cachryos X p. VIII, iris X p. XVI, cerae X p. LV, terebinthinae X p. L. arida quae sunt contunduntur, cribrantur; sucum habentia cum resina subinde admixta contunduntur; cera in frusta concisa aqua ferventi demittitur et subacta manibus miscetur ceteris in pilam. oportet autem pilum ligneum frequenter cypreo oleo perungere. hoc malagma 25 cypreo oleo liquefactum acopi usum praestat.

CCLVI. Malagma alterum stomachum, alvum, intestina soluta habentibus et cholericis prodest; confirmat omnem partem et adstringit, quae